





1728/113

15. 46

FACULTATIS JURIDICÆ  
IN ALMA ET PERANTIQUA ELECTORALI  
VNIVERSITATE ERFORDIENSI  
DECANI  
ERNESTI TENZELII  
JCTI

EMINENTISSIMO PRINCIPI ELECTORI MOGVNTINO A CONSILII REGIMINIS,  
JVDICII PROVINCIALIS ERFORDIENSIS ASSESSORIS, AC DICTÆ CIVITATIS  
CONSVLIS PRIMARIJ,

PROGRAMMA INAUGVRALE  
PRÆMISSVM  
LECTIONI CVRSORIÆ

*Super L. 32. §. 1. ff. de Usur.*

ET  
DISSERTATIONI INAUGVRALI

DE DOMANIIS PRINCIPVM  
INALIENABILIBVS,  
DIE XXVI. APRILIS M DCC XXVIII.

A

NOBILI ET CLARISSIMO JVRIVM CANDIDATO

DN. JOH. FRIEDERICO HASE,

FRAVENPRISNICENS. OSTERLAND.

IN AVDITORIO JCTORVM MAJORI  
HABENDIS,

QVO PRÆVIA AD HOS ACTVS SOLENNES INVITATIONE  
DE

*VSVRIS EX MORA*  
DISSERIT.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.





U<sup>U</sup>surarum mentionem quando injiciunt vetustiorum seculorum scriptores, videntur semper eas abominatio- ni habere, ob præconceptam opinio- nem, pecuniam esse rem per se sterilem, quæ fructus non ferat; Sic enim scribit TACITVS Lib. VI. Annal. c. 16. Sane vetus urbs fenestre malum, & seditio- num discordiarumque creberrima causa, eoque cobibebatur antiquis quoque & minus corruptis moribus. Nam primo duodecim tabb. sanctum, ne quis unciario foenore amplius exerce- ret, cum antea ex libidine locupletium ageretur; dein rogatione tribunitia ad semi- uncias redacta. Postremo velita versura, multisque plebiscitis obviam itum fraudibus, quæ toties repressæ per miras artes rursus oriebantur. Von Hagen in Tract. de Usur. Cap. 3. n. 24. Usuras feram quandam beluam dixit; & Scriptores Juris Ecclesiastici passim testantur, quantum Patres Ecclesie adhibuerint zelum ad extirpandas Usuras, vid. NOODT. de Fenore & Usuris Lib. I. cap. 4. Conf. STRYCK. V. M. ff. tit. de Usur. §. 2. Licet alium; imo elegantiorum & commodiorum Usuras percipiendi viam & modum, ex annuis redditibus introduce- rint, eoque satis ostenderit, quomodo pecunia non sit plane res sterilis, sed accedente hominum industria possit fructus ferre; solent enim vario modo in Republ. homines victum & amictum quarere, unus in usu pecuniae, alter in transmutatione in agros, Sylvas, villas, domus, negotiatio- nem

3  
nem, instrumenta artibus atque scientiis inservientia, & omnes fructus pecuniaz, sive usuras percipiunt, diverso vero accipiendi respectu, sicut & non negandum, Usuras Jure Naturali esse licitas, modo legitimum modum, quem determinandum Juri Civili reliquit, non excedant. Nec Sacra Scriptura modum Usuras percipiendi absolute probavit, sed solum immodicas, & mordaces, quæ dicuntur proximi dilectionem offendere; Et licet Jure Civili fœneratoribus sepultura honesta recte denegetur, tamen habitus respectus ad illicitum & improbum fœnoris genus exercentes, sicut & in verbo Divino ut plurimum, quando fœnora pro improbis venditantur, in specie ad improbum fœneratorum genus, teloniorum conductores habitus est respectus, utpote qui non solum vilissimo hominum generi adscripti, sed & ubique peccatorum appellatione veniunt. De hisce non opus testimonia ubique colligere, testis enim abunde potest esse Praxis universalis, non solum Germaniæ, sed universarum quoque aliarum regionum ac nationum, quæ usuras non pro illicitis habent, sed commerciis facilitandis inservire, experientia edoctæ censuerunt. Diverso autem modo J. Romano considerantur Usuræ, vel enim debentur ex conventionione, vel ex mora, vel etiam ex singulari æquitatis ratione; distincta autem quoad conventionionem fuerunt negotia, an in bonæ fidei, an verò in stricti Juris Judiciis, ex ea usuras quis petat: in his enim stipulatione opus fuit, *L. 41. in f. ff. de Usur.* in illis etiam valida fuerunt, si pacto in continenti adjecto promissio facta, *L. 3. C. de Pact.* quam differentiam sublatam esse putat Dn. BERGER. *Oecon. Jur. Lib. 3. tit. 12. p. 758. pr.* ita ut noviori Jure absque discrimine Judiciorum bonæ fidei & stricti Juris omnes stipulationes pacto nudo fieri possint. Ex mora autem in stricti Juris Judiciis plane nullæ debentur usuræ *L. 32. §. 1. ff. de Usur. L. 17. §. 2. ff. eod. L. 24. §. ult. ff. de pos. L. 17. ff. Locat.* Sic in mutuo, ex mora creditoris non deberi usuras manifestum est ex *L. 24. ff. de P. V. L. 3. C. de Usur.* & hoc ex eo, quoniam ultra id, quod in stipulationem deductum est, sese non extendit  
( 2

obli-

Obligatio in Judiciis stricti Juris, exceptionem tamen aliquam suppeditant, quoad moram Judicalem, & dicunt quando quis in mora solvendi sit constitutus, in stricti Juris Judiciis, ac desuper interpellatio accedat Judicialis, quod post litem contestatam usuræ debeantur ex mora per *L. 38. §. 7. ff. de Usur. L. 31. ff. de rebus Cred.* sed alii hoc negant, putantque, quod in stricti Juris Judiciis ex mora plane nulla debeantur usuræ, sive debitor in ea constitutus sit mediante interpellatione Judiciali, sive extrajudiciali, cum Leges hoc in genere prohibeant, allegantque *L. 1. C. de Cond. ind. deb. L. 4. C. de Cond. ob turpem caus. L. 22. ff. de Donat. conf. pluribus Dn. BERGER. Oeconom. Jur. Lib. 3. tit. 12. p. 758. pr. GRASSI Collat. Jur. Civ. Rom. cum Recess. Imp. Sc. §. 1. p. 263.* putantque, quod ex argumento *L. 38. §. 7. ff. de Usur.* nequaquam possit deduci, usuras ex mora post litem contestatam deberi, quoniam ibi solum sit sermo de fructibus, quod hi post litem contestatam debeantur in stricti Juris Judiciis, usuræ autem nomine fructuum non veniant, quoniam fructus naturalem habere causam & ex re ipsa nasci dicantur. *L. 16. ff. ad Sc. Trebell.* Sed si rem penitius inspicimus, videtur hocce solum ex improba usurarum ratione, atque imaginaria iniquitate, quod pecunia fructus ferre non possit, protectum, solent enim varios homines, qui aliquid in bonis habent, acquirendi modos excogitare, ita ut favorabilior conditio fructuum, quam pecuniæ, unde nascatur, derivari haud queat. Sic de Jure Civili, si usuræ in stipulationem quidem deductæ sunt, at nullæ determinatæ, tunc quoque nullæ debentur, nisi argentariis vid. *L. 34. ff. de Reg. Jur.* Dantur tamen casus, in stricti Juris Judiciis, ubi usuræ ex mora debentur, si videl. actio personalis ex testamento adest, ratione legati & fideicommissi, hæc Judicia autem stricti Juris esse monstrat. *L. 6. ff. de in Lit. Jurand.* tamen quoad usuras bonæ fidei Judiciis aequiparantur. *L. 17. §. 3. ff. de Usur. conf. NOODT. Tr. de Fenore & Usur. Lib. 3. cap. 7.* deinde quoque in actione in factum rei Judicatæ, ex quasi contracta oriunda, factoque litis contestationis & infecuta sententia

tentia, L. 3. §. 11. ff. de pecul. ubi debentur usura centesima, L. 2. C. de Usur. Rei Jud. Hinc & ex stipulatu actio marito ad exigendam dotem competens, stricti Juris solet dici, ex regula ordinaria, quod omnes ex stipulatu actiones sint stricti Juris, vid. L. 99. ff. de V. O. L. 7. ff. de negot. gest. & hanc similitudinem cum bonae fidei actionibus habet, quod usura promissa, & non soluta, ex mora, eodem Jure censentur. L. fin. §. ult. C. de Jure Dot. vid. latè GRASSUS cit. loc. p. 250. seqq. Ratione bonae fidei Judiciorum autem in Jure nostro plane nullum existit dubium, sed ibi usura ex mora indistincte debentur, per L. 32. §. 1. ff. de Usur. L. 17. §. 2. ff. eod. L. 24. §. ult. ff. de pos. L. 17. ff. Locat. ita tamen, ut si quis in mora sit usuras solvendi, harum determinatio ex more cujuscunque regionis veniat dimetienda, vid. NOODT. de Usur. lib. 3. cap. 3. In Imperio nostro Germanico Actiones bonae fidei & stricti Juris, quoad usuras sunt aequatae, ita ut in genere in omnibus indistincte debitis ex mora debeantur usurae, per REC. IMP. de A. 1600. §. **So viel nun.** vid. LAVTERBACH. Coll. Theor. Pract. ad tit. de Usur. §. 18. in fin. ita tamen ut solum 5. pro centum debeantur, vid. R. I. noviss. de A. 1654. §. **Anreichend nun.** Nisi per modum interesse petantur, ibi enim majores usuras petere licere docet ante allegatus RECESSVS verb. **So ordnen und wollen wir** nochmahls, daß solch interesse a tempore mora erstattet, und derentwegen den Creditorn fünfß Gulden von hundert bezahlet werden, oder aber da dem Creditori solche fünfß Gulden nicht annehmlich, sondern er vermeinen wolte, tam ex lucro cessante, quam damno emergente ein mehrers zu fordern, daß ihme alsdann sein ganz Interesse zu deduciren, gebühlich zu liquidiren, und zu beschleunigen, und der Richterl. Erkenntnis zu gewarten unbenommen seyn soll. Pluribus usurae ex mora deduci possent sed restat jamjam recensendam vitam curriculum

NOBILIS ET CLARISSIMI DOMINI

JOANNIS FRIEDERICI HASE,

Qui natus est Prusitiae Dominarum in Osterlandia Anno 1700.  
die 15. Octobr. parentibus honestissimis, Patre nimirum

) ( 3

Dn.

Dn. JOHANNE FRIEDERICO HASE, *Sereniss. Ducis Saxon. Citzensis B. M. à Commissionibus Camera, Praefectura Tautenburg. Administratore & reddituum publicorum Collectore.* qui jam Anno 1715. die 30. Decembr. factis concessit; Matre vero femina virtutibus ornatissima SABINA MAGDALENA, Dn. JOH. GVILIELM. STOLBERGII, *praefecti quondam Seköblensis filia,* qua post mortem B. parentis mei cum Dn. JOH. GOTTLIEB SPINDLERO in *Wetzdorff, cujus administrationi quinque Ville regia concedite sunt,* nuptias secundas celebravit, & adhuc in vivis exillit, cui utrique ut Deus vitam longam & valetudinem inconcussam concedere velit, ex animo precatur. AVUS ex patre fuit Dn. SAMYEL HASE, *Tributorum, que in Praefectura Tautenburgens. colliguntur, quondam collector;* Avia autem SVSANNA, Dn. DANIEL. CONRADINI, *Praepositi & Pastoris Seköblensis filia.* Hi parentes optimi nihil prius habuerunt, nihil antiquius, quam ut filium huncce in pietate, bonis literis & moribus pro ea, qua parentes decet, cura educarent, quo spem suam qualemcunque de eo conceptam aliquando impleret, hinc à teneris, quod ajunt, unguiculis domesticorum praeceptorum institutioni eundem commiserunt; postmodum in Gymnasio illustri, quod Cizæ floret, ad studia Academica præparari voluerunt; Miserunt itaque eum Cizam Anno 1713. die 2. Aug. ubi præceptores nactus est fidelissimos & ingeniorum formatores dextrimos Dn. CRAMERVUM, *Colleg. tertium,* Dn. HERTZOG *Conrector.* & Dn. GLEITSMANN *Rector.* Quibus duobus posterioribus, qui *viris doctis* sunt, in stylo & humanioribus multum debet. Feliciter sic emenso studio scholastico ad altiora progredi ipsa studiorum ratio postulavit, hinc suafu amicorum *vicinam Salaniam* salutavit, Anno 1718. (in qua jam antea, Anno 1714. die 2. Aug. albo Academico inscriptus erat, *Rectore Magnifico Dn. JOH. JAC. SYRPIO Phil. Prof. Publ. existente,*) & quidem ante omnia animum ad Philosophiam applicuit, in qua manuuctores solertissimos nactus est Dn. M. GERLACHVUM in Colleg. privatissimo & Dn. GOTTLIEB STOLLEN, *Phil. Prof. Ord. in Collegio Logico privato,* Dn. D. HERM.

HERM. FRIED. TEICHMEYERVM, *Med. Prof.* Physicam  
experimentalem privatim, oeconomiam vero publice  
proponentem; ut & *Dn. D. BVRC. GOTTHELFF STRV-*  
*VIVM, Consiliar. & P. P. Hist. r. r.* in historia universali. Hisc  
fundamentis legitime jactis cum castra Themidis sequi se-  
cum constituisset, Collegia Juridica Virorum celeberrimo-  
rum frequentavit, inprimis pependit ex ore *Dn. JOH.*  
*GVIL. DITTMARI J. U. D. Consiliar. Meinung. nec non curia*  
*provincialis Advocati Ordin.* quem ter Institutiones Justinia-  
neas explicantem, nec non Jus feudale ad examen Stry-  
ckii docentem, audivit non interrupta serie. Nec minus  
etiam post fata gratum animum profiterur *Beat. Dn. NIC.*  
*PRAGEMANN J. U. D.* cujus Collegiis quamplurimis Au-  
ditor interfuit, nimirum Collegio Juris Civ. ad Struvii Ju-  
risprudent. Collegio pandectarum ad Lauterbach. Colle-  
gio Jur. Nat. tam ad Potendorf. officia, quam ad Juris-  
prudentiam naturalem, quam ipse Pragemannus ediderat,  
itemque Collegio Juris Can. & quo majorem ex iis repor-  
taret fructum, non contentus fuit, semel ea absolvisse,  
multo potius plurima eorum secunda aut tertia vice re-  
petiit ac ruminatus est, ut cuncta eo melius in succum &  
sanguinem converteret. Neque neglexit Collegia publi-  
ca Consultissimorum Antecessorum Jenensium, praeser-  
tim frequenter visitavit *Dn. D. GVIL. HIER. BRVCKNERI,*  
*Prof. Jur. Ord.* Collegium ad Digesta. Et ne quid in cursu  
Juridico desideraretur, addidit etiam Collegium practicum  
quod duce *Dn. D. CASPAR ACHATIO BECK itidem Prof.*  
*Jur. Publ.* qui celeberrimi illius *J. C. & Consilarii Aulici Re-*  
*gii Gribneri* introductionem ad praxin in docendo secutus  
est, absolvit. Quoniam etiam animadverrit, Notariatum  
interdum usum quendam praebere illis, qui praxi operam  
navare volunt, hinc ut omnibus praesidiis instructus ali-  
quando ad eam accederet, Anno 1720. die 2. Aug. praxio  
examine consueto *Notarii publici Caf. jurati dignitatem* ade-  
ptus est. Primitia haec erant diligentia in Jure navata, quas  
mox alia exceperunt pramia, cum enim Anno 1721. die 18.  
Sept. literas supplices AD POTENTISS. REGEM POLO-

NIAE

NIE ET ELECTOR. SAXONIE dederat, ut *praefectura Taurenburgensis Actuarius* constitueretur, Rex clementissime petito annuit, eique in eximio Collegio Camerali Dresdenſi hoc munus demandari juffit, cui adhuc, quamdiu Deo ita viſum erit, praefit. Tandem ad praxin, cujus amore à prima quaſi ætate ſtatim flagravit, ſerio animum applicuit, & ut poteſtas eandem exercendi ſibi concederetur, humillime petiit, qua propter ex ſpeciali mandato Regio Elect. Anno 1725. ab *inchyta Facultate Jurid. Lipſienſi* ad examina admiſſus eſt, & ſpecimina ejusmodi edidit, quæ à futuro *Advocato in Electoratu Saxonie* edenda ſunt; Feliciter tunc ceſſit opus, hinc poſtea non ſine applauſu in variis praefecturis ac Judiciis Electoratus Saxonici, Ducatum Gorhan. & Vinarienſ. Cauſarum Patronum egit. Nuper autem huc ad noſtram perantiquam Hieranam ſe contulit, obtinendorum Themidis honorum cauſa, & ante omnia nomen ſuum dedit more conſueto albo Civium Academicorum *Reſtore* hujus univerſitatis Magnifico, Reverendiſſimo Dom. Dom. PLACIDO, Regalis Monafterii SS. Apoſt. Petri & Pauli Ordin. S. *Benedicti Abbate &c.* poſtea Collegium noſtrum adiit, eique per literas deſiderium ſuum expoſuit, nec non modeſte petiit, ut ea, in quibus partes officii ſui explere poſſit indicaremus. Facultas noſtra petitis ejus honeſtis deferre parata, tranſmiſit more conſueto textus ex utroque Jure elaborandos, diemque Examine praefixit rigoroſo, ubi ſtatuto tempore comparuit, textuumque elaboratione, & reſponſione congrua ad interrogata ſatiſfecit noſtro deſiderio, ita ut unanimi conſenſu decreverimus, ipſum ad ulteriora Jurium ſpecimina admittere. Aperietur itaque ipſi Cathedra publica, ex qua proxima die 26. April. Lectionem Curſoriam ad L. 32. §. 1. *ſi. de Uſur.* hacque finita Diſſertationem Inauguralem DE DOMANII PRINCIPVM INALIENABILIBVS B. c. D. habebit. Ad quos actus ſolennes, omnes ac ſinguli Univerſitatis noſtræ Proceres, ac Cives, ea qua par eſt obſervantia, & humanitate invitantur. Publ. ſub Sigillo Facult. Jurid. Dom. Cantate, die XXV. April. MDCCXXVIII.

(L. S.)

P. 232






ULB Halle

3

005 355 63X







1728/113

15.46

FACULTATIS JURIDICÆ  
IN ALMA ET PERANTIQUA ELECTORALI  
VNIVERSITATE ERFORDIENSI  
DECANI  
ERNESTI TENZELII  
JCTI

EMINENTISSIMO PRINCIPI ELECTORI MOGVNTINO A CONSILII REGIMINIS,  
JVDICII PROVINCIALIS ERFORDIENSIS ASSESSORIS, AC DICTÆ CIVITATIS  
CONSVLIS PRIMARIJ,

PROGRAMMA INAUGVRALE  
PRÆMISSVM  
LECTIONI CVRSORIÆ  
*Super L. 32. §. 1. ff. de Usur.*

ET  
DISSERTATIONI INAUGVRALI  
DE DOMANIIS PRINCIPVM  
INALIENABILIBVS,  
DIE XXVI. APRILIS M DCC XXVIII.

A  
NOBILI ET CLARISSIMO JURIVM CANDIDATO  
DN. JOH. FRIEDERICO HASE,  
FRÄVENPRISNICENS. OSTERLAND.  
IN AVDITORIO JCTORVM MAJORI  
HABENDIS,

QVO PRÆVIA AD HOS ACTVS SOLENNES INVITATIONE  
DE  
*VSVRIS EX MORA*  
DISSERIT.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

